



The Holy See

PIUS PP. X

EPISTOLA

***QUA PIUS PP. X LAUDAT CATHOLICOS CATALAUNOS
OB UNITATIS EXEMPLUM IN FIDEI IURIBUS TUENDIS [1]****

DILECTO FILIO NOSTRO
SALVATORI TIT . SS . QUIRICI ET IULITAE
S. R. E. CARD. CASSANAS Y PAGES
EPISCOPO BARCINONENSIVM - BARCINONEM

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Editum nuper a Catalaunia unitatis exemplum in tuendis fidei catholicae iuribus, admodum quam multa Nos delectatione perfudit, eo scilicet nomine, quod in causa religiosa, id est quum de roganda adversus libertatem sacrarum consociationum lege consilium proferretur, Catalauni omnes tametsi studiis forte civilium rerum segregati, consensione mirifica obstitere, monueruntque palam potiore in eorum animis religioni locum esse quam partibus, viresque in eis nulla ratione posse disiectas existere ubi fidei momentis discrimen immineat. Omnino istam catholicos decere arbitramur significationem religiosorum sensuum. Nobis vero ideo etiam e re consolatio non defuit, quia tradita plus semel a Decessor e Nostro Leone XIII fel. rec. et a Nobis documenta, per eam occasionem vidimus fideli studio servata, singulari vobis consecuta utilitate. Id nunc superest unum, ut quae, memoratotempore, in Catalaunia et alibi est edita actio, similibus in adiunctis edatur assidue, neque istic solum, sed apud universos Hispaniae populos, nulla posthabita religiosae rei protegendae opportunitate, tum si quis ab inimicis impetus instet, tum si postulent tempora ferri pro singularum administratione civitatum aut pro regni regimine suffragia. Hisce certe pactis constabit, persentire Hispaniam, prae qualibet civilium sectatione rerum, avitae religionis vim, eiusque legitima et salubria commoda omni ope et consentanea voluntatum sinceritate provehere. Ad comprobendam eventu spem, tuae ne cesses navitatis opem conferre, quam

caeteros Hispaniae Episcopos sua, ut antea, alacritate esse cumulatulos pro certo confidimus: simul laudem habeto, vere meritam, episcopalis diligentiae tuae, testemque dilectionis Nostrae Apostolicam benedictionem excipias, quam tibi propensissimo animo in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die IV Martii anno MCMVII, Pontificatus Nostris quarto.

PIUS PP. X

[1] Emus Card. Secretarius Status Pontificiam hanc epistolam ad Emu m .Episcopum Barcinonensem transmisit, ex parte sua addens:

Emo e Rmo Sig. mio Ossmo,

Nell'intento di tributare una meritata parola di lode ai cattolici di Catalogna per la nobile e generosa azione di unanime protesta spiegata non ha guari contro i noti progetti di legge sulle associazioni religiose, ed allo scopo altresì di eccitare i cattolici delle altre provincie spagnuole a farsi promotori, in somiglianti circostanze, di movimenti collettivi ispirati alla bella condotta dei Catalani, è piaciuto al Santo Padre di dirigere all'Eminenza Vostra un suo venerato documento. Io mi affretto a rimetterle la Pontificia ed importante lettera, e non dubito che Vostra Eminenza vi troverà, insieme con i suoi fedeli, alto conforto per lo zelo dimostrato nell'anzidetta occasione e vorrà anche darle pubblicità perchè se ne giovino gli altri Vescovi e fedeli di Spagna, all'uopo di procurare la stretta unione dei cattolici, massime nelle circostanze di elezioni amministrative e politiche, alle quali prudentemente allude un periodo, -che merita di essere posto in rilievo, della lettera stessa.

Profitto dell'occasione per rinnovarle i sensi della profonda venerazione con cui Le bacio umilissimamente le mani e mi pregio raffermarmi Dell'Eminenza Vostra

Roma, 5 Marzo 1907.

Umo e dmo servitore vero
R. Card. MERRY DEL VAL

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana